

MATRIMONIUM RATUM: SIGNIFICATIO TERMINI

SUMMARIUM: Determinatio argumenti. Gratianus non resolvit binas quaestiones de ratificatione. Indissolubilitatis significatio manet confusa in controversia Rufini cum ceteris Decretistis. Notae matrimonii rati in sensu theologico fundantur in Baptismo. Haec doctrina excolitur ab aliis. Validitas naturalis matrimonii et baptismus susceptus sufficiunt ad sacramentum, v. gr. apud Huguccionem et Bonaventuram. Differentia inter matrimonium ratum et legitimum habetur ex intrinseca consistentia.

Studium hoc investigat matrimonii rati conceptum et fundamentum in Corpore Juris Canonici, apud decretistas, decretalistas, et nonnullos theologos medioevales, eo praesertim fine ad determinandum utrum nihil aliud requiratur praeter baptismum contrahentium ut habeatur matrimonium ratum. Super hoc etiam fundatur quaedam indicatio ad illustrandam quaestionem de inseparabilitate inter contractum et matrimonium [C. 1055.2]. Unde etiam illustratur cur proprietates essentielles matrimonii peculiarem obtineant firmitatem ratione sacramenti [C. 1056] necnon in quo consistit ratificatio peculiaris matrimonii baptizatorum [C. 1061.1]. Studium est stricte historicum sed spes habetur ut quaestiones ex illo hodiernae haud parum illuminentur¹.

¹ Articulus originem summit ex dissertatione apud Facultatem Juris Canonici Pontificiae Universitatis Gregorianae, relata ad consequendum doctoratum in eadem facultate. Thesis habet

Incipere debet haec investigatio a *Gratiani Decreto* non solum quia Gratianus primus chronologicè fuit, sed quia ille de facto terminos limitesque argumenti de quo agitur determinavit. Decretistae, decretalæ sequentium pontificum romanorum, et decretalistarum signant tantum explicationes Gratiani, et in nonnullis casibus evolutiones quae incipiunt ex Gratiani Decreto.

1. Notio matrimonii rati in duobus locis apud *Decretum* invenitur. Auctor utitur vocabulo ut indicet significationes diversas. Prima est ratificatio matrimonii ratione copulae factae inter sponso². Secunda est ratificatio matrimonii ratione sacramenti baptismi³. Ideoque duae significationes ratificationis matrimonii habentur: alia per copulam, alia per baptismum. Utraque efficit vinculum matrimonii firmum et inviolabile. Sed sensus strictus et technicus in jure canonico ratificationis est altera, ratificationis nempe ratione baptismi.

septem capita et dividi potest in tres partes, quarum prima agit de Gratiani Decreto et de quinque praecipuis decretistis; secunda de Decretalibus Gregorii IX et commentatoribus; ultima pars quae est aliquantulum caput auxiliare spectat ad theologos mediaevales.

² Sed sciendum est quod conjugium desponsatione initiatur, commixtione perficitur. Unde inter sponsum et sponsam conjugium est sed initiatum; sed conjugium inter copulatos est ratum. C. 27, Q. 2, dpC. 34.

³ Item illud Augustini non est ratum conjugium quod sine Deo est non negat conjugium esse inter infideles. Conjugium enim aliud est legitimum et non ratum, aliud ratum et non legitimum, aliud legitimum et ratum. Legitimum conjugium est quod legali institutione vel provinciae moribus contrahitur. Hoc inter infideles ratum non est quia non est firmum et inviolabile conjugium eorum... Inter fideles vero ratum conjugium est quia conjugia semel inita inter eos ulterius solvi non possunt. C. 28, Q. 1, dpC. 17.

2. Attamen, duae quaestiones non resolvuntur: prima, quandonam vinculum matrimoniale constituitur; altera, matrimonium ratum dicitur indissolubile sed quid significet praecise haec indissolubilitas.

2.1. Tractando de prima ratificationis significatione, inter matrimonium initiatum per consensum et consummatum per copulam GRATIANUS distinguit ut explicet cur matrimonia nondum consummata dissolvi possint⁴.

Tamen haec positio non tenet. Primum quia doctrina pacifica juxta quam consensus facit matrimonium non sufficienter consideratur⁵. Secundo, quia videretur copulam ad essentiam matrimonii pertinere⁶, quo in casu matrimonium Mariae et Joseph

⁴ C. 27, Q. 2, dpC. 34. Aliis verbis, «processus» constitutionis matrimonii initiatur praestatione consensus partium et perficitur commixtione corporum ut ipse affirmat. Cf. etiam C. 27, Q. 2, C. 36.

⁵ Cf. Auctores quos Gratianus ipse allegat: Matrimonium quidem non facit coitus sed voluntas [C. 27, Q. 2, C. 1]; Sufficiat solus secundum leges consensus eorum de quorum quarumque conjunctionibus agitur [C. 27, Q. 2, C. 2]; Consensus ergo cohabitandi et individuum vitae consuetudinem retinendi interveniens eos conjuges facit... ergo iste consensus fuit inter eos patet hos conjuges fuisse [C. 27, Q. 2, C. 3]; Matrimonium enim non facit coitus [C. 27, Q. 2, C. 4]; Non defloratio virginitatis facit conjugium sed pactio coniugalis [C. 27, Q. 2, C. 5].

⁶ Unanimitur tenetur apud auctores classicos et medioevales copulam pertinere non ad essentiam sed ad matrimonii significationem. Secundum HUGUCCIONEM PISANUM, v.g.: [copula] confirmat, id est ratum et indissolubile reddit inter fideles et perficit non quoad sui essentiam sed quoad significationem suam omnimodam quam primo non habet, sed adveniente copula, omnimodam significationem suam habet. UGGUCCIONE DE PISA, *Summa*, ed. Roman, 793-94 [citatum a Corriden. *Indissolubility Added by Consummation*, 42, nota 58].

seph non esset verum et perfectum. Hoc autem fieret contra traditionem constantem et firmam ecclesiae⁷.

Distinctio facta a GRATIANO inter matrimonium initiatum et consummatum relicta est pro distinctione inter consensum de praesenti et consensum de futuro. Aliis verbis, si consensus de praesenti interveniat, vinculum indissolubile matrimonii constitutum est ita ut non possit ulterius dissolvvi, nisi alterutra vel utraque pars in religionem transeat antequam illud consummetur per commixtionem carnis⁸. Decretalis

⁷ Magister RUFINUS, quamvis hanc positionem non teneat, summarium optimum argumenti praebet: perfectum, inquiunt, conjugium fuit iter Mariam et Joseph sicut Augustinus ait, et etiam ratum; quod probant eo quod Augustinus dicit ibi sacramentum fuisse quia nullum divortium; sacramentum vero quod divortium non patitur, sacramentum Christi et ecclesiae est, in quo ratum fit matrimonium. Cum Maria et Joseph non carnaliter conjuncti fuerint, patet quod in desponsatione absque carnis commixtione perficitur et firmatur matrimonium. RUFINUS, *Summa Decretorum*, ed Heinrich Singer [Paderborn: Druck und Verlag Ferdinand Schöningh, 1902], 445.

⁸ ROLANDUS sic scribit: ... notandum est quod duplex est ligatio. Est enim ligatio de praesenti ... est de futuro ... Illa de praesenti talibus verbis exprimitur volo te in meam et dicitur haec desponsatio de praesenti et haec talis ligatio impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum ... Ille vero ... de futuro talibus verbis exprimitur volam vel accipiam te in meam et dicitur haec desponsatio futurorum ... Haec ligatio impedit matrimonium contrahendum sed si fuerit contractum non dirimit ... ROLANDUS, *Die Sentenzen Rolands*, ed. A. GIETL [Freiburg im Breisgau: Herder'sche Verlagshandlung, 1891], 274. Simile modo, Raimundus de Pennaforte affirmat: Et ista sunt vera sponsalia quando sic per verba de futuro contrahuntur. Si vero per verba praesentis temporis contrahuntur quia dicit vir accipio te in meam uxorem ... vel consimilia verba dicant quae mutuum consensum utriusque de presenti significet ... ista talia dicuntur sponsalia de presenti, sed improprie quia vere est matrimonium. RAIMUNDUS, *Summa de Matrimonio* [Universa Bibliotheca Juris: Instituto

GREGORII IX *Si Inter Virum* applicatio est hujus principii⁹.

2.2 De significatione praecisa termini indissolubilitatis agit quaestio altera. Confusio de hac re evidens est in controversia inter Magistrum RUFINUM ex una parte et reliquos decretistas hic inquisitos ex altera.

ROLANDUS, facta distinctione expressa inter consensum de praesenti et de futuro, asserit matrimonium jam constitui essentialiter cum interveniat consensus de praesenti, et matrimonium sic constitutum indissolubile est etiam antequam consummetur per commixtionem carnalem¹⁰. De consuetudine ecclesiae secundum quam, si desponsata alium virum sibi elegerit atque ab eodem carnali conjunctione polluta fuerit, illa concedatur secundo, idem auctor dicit «quae tamen consuetudo quibus auctoritatibus defendatur, me latere non denego»¹¹. Clarius esse non potest quod juxta hunc auctorem matrimonium constitutum per consensum de praesenti jam indissolubile est ita ut opinetur illud dissolvere non posse etiam per transitionem in monasterium negante praxim ecclesiae illius temporis.

Juridico Claretiano], curantibus Ochoa et Diez (Roma: Commentarium Pro Religiosis, 1978), 903.

⁹ Si inter virum et mulierem legitimus consensus de presenti interveniat ... non licet alteri transire ad alia vota; quod si fecerit, secundum matrimonium de facto contractum [etiamsi carnalis copula subsequuta sit] separari debet et primum in firmitate sua manere [X, 4, 1, 31].

¹⁰ ... desponsatio de praesenti impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum... Hec ligatio de futuro impedit aliud matrimonium contrahendum, sed si fuerit contractum non dirimit... ROLANDUS, *Sententiae*, ed. Geitl, 274.

¹¹ ROLANDUS, *Summa Decretorum*, 132-33.

Ex altera parte, Magister RUFINUS denegat illud matrimonium esse ratum, id est indissolubile, quia de facto solvi potest cum alterutra pars elegit monasterium. Videretur ergo Rufinus intelligere terminum ratum significare indissolubilitatem absolutam¹². Et sic argumentatur Rufinus: matrimonium inter personas non legitimas contractum esse ratum non potest cum dissolvi potest. Itemque, matrimonium ratum non potest constitui cum intervenit solus consensus etiam de praesenti sine commixtione carnis quia matrimonium sic constitutum dissolvi potest.

Indissolubilitatis praecisa significatio clarificatur primum a ROLANDO¹³, et tunc a BONAVENTURA¹⁴, quando tres categorias matrimonii cum gradu indissolubilitatis unicuique proprio introduxerunt. Omne

¹² RUFINUS, *Summa Decretorum*, 441.

¹³ Si enim ut dictum est infidelis in conjugio positus est ad fidem conversus fuerit, ejusque uxor Christi predicationem non abhorruerit ac secum habitare voluerit, licitum est fidei eam dimittere sed non ad copulam alterius vivente eo transire... Verum si uterque ad fidem conversus fuerit discedere ab invicem minime licet. Si vero post conversionem una caro per sexuum commixtionem fuerint effecti, altero eorum ad infidelitatem reverso, ei ad secunda vota transire prima vivente minime licebit. Rolandus, *Summa Decretorum*, ed. Thaner, 141-42.

¹⁴ Agendo de indissolubilitate matrimonii consummati et rati asserit: [illud] matrimonium est insolubile... ratio enim insolubilitatis dispositive venit ab ejus significatione quia significat unionem insolubilem, scil. Christi et ecclesiae secundum conformitatem naturae. BONAVENTURA, *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 27, A. 3, Q. 1. Dein de indissolubilitate rati matrimonii tantum: quaeritur de indissolubilitate illius matrimonii quod solum est in conjunctione animorum... dicendum quod indissolubilitas consequitur matrimonium non tantum consummatum sed etiam ratum; et propter hoc etiam ratum est quia quandam indissolubilitatem habet licet minorem quam matrimonium ratum... *Ibid.*, L. 4, D. 27, A. 3, Q. 2.

matrimonium gaudet aliquomodo indissolubilitate ita ut conversio ad fidem unius partis infidelis non det causam ad dissolvendum matrimonium jam contractum inter infideles. Secunda categoria matrimonii est sic dictum ratum propter sacramentum baptismi sed nondum consummatum. Matrimonium hoc dissolvi quidem potest per ingressum in monasterium. Non tamen dissolvi potest etiamsi una pars in haeresim vel in errores paganorum labatur. Denique tertia categoria: matrimonium inter baptizatos contractum et jam consummatum per copulam carnis inter sponsos factam nequit ulterius dissolvi nisi per mortem.

3. Duas notas notio matrimonii rati continet. Prima est theologica, expressa nempe et plena significatio unionis inter Christum et ecclesiam vel uti aliquando exprimitur, inter et divinam naturam humanam Christi. Sanctus THOMAS affirmat aptitudinem vel potentiam omnium matrimoniorum ad hoc significandum; describit matrimonium inter infideles contractum uti sacramentum aliquomodo, habitualiter non actualiter, eo quod non contrahunt in fide ecclesiae¹⁵. Et consummato per copulam inter conjuges, matrimonium inter baptizatos contractum jam perfectum ad ordinem essentiae perficitur ad ordinem significationis, quia tunc fit integrum sacramentum

¹⁵ Ad 1 ergo dicendum quod matrimonium non tantum est institutum in sacramentum sed in officium naturae; et ideo infidelibus non competat matrimonium secundum quod est sacramentum in dispensatione ministrorum ecclesiae consistens; competit tamen eis inquantum est in officium naturae. Et tamen etiam tale matrimonium est aliquo modo sacramentum, habitualiter quamvis non actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide ecclesiae. THOMAS AQ. *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 39, Q. 1, A. 2.

indissolubilis unionis inter Christum et ecclesiam. Sic asserit GOFFREDUS DE TRANO sequens Petrum Lombardum.

Nota in matrimonio attenditur duplex sacramentum propter duplicem significationem quae est in eo consummato per carnis copulam. Prima est conjunctio animorum, secunda corporum. Significat prima conjunctionem fidelis animae ad Deum, et haec dissolvatur per sequens peccatum, secunda Christi et ecclesiae conjunctionem... item in eadem conjunctione secunda significatur conjunctio deitatis et humanitatis facta in utero virginali¹⁶.

Secunda nota est juridica, scil. indissolubilitas quae surgit ex theologica nota. Sic argumentatur: quia matrimonium ratum significat unionem indissolubilem, item est indissolubile. Juxta ALBERTUM MAGNUM:

In matrimonio autem consummato, significatum est naturarum conjunctio duarum in una persona Christi, secundum quod sponsa conjungitur cum sponso in natura quae conjunctio inseparabilis simpliciter; et ideo est inseparabile simpliciter signum ejus conjugibus existentibus in esse...¹⁷.

4. Matrimonium ratum in secundo sensu Gratiani sensu nempe theologico, fundatur in sacramento baptismi. Haec doctrina pacifice affirmata est sensu

¹⁶ GOFFREDUS DE TRANO, *Summa Decretalium* (Venetiis: Apud Johannes Baptistam Hugolinum, 1586), 36.

¹⁷ ALBERTUS MAGNUS, *De Sacramentis [Opera Omnia]*, ed. Bernhardo Geyer, et al.] (Monasterii Westfalorum in Aedibus Acchendorff, 1958), vol. XXVI, p. 164; vide etiam: BONAVENTURA, *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 27, A. 3, Q. 1; et Thomas Aq., *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 26, Q. 2, A. 1 ad 3 et 4; L. 4, D. 33, Q. 2, A. 1; L. 4, D. 39, Q. 1, A. 5.

generali saltem a tempore Gratiani¹⁸. Proponitur vero authentice in decretali *Quanto ab* INNOCENTIO III.

*Nam etsi matrimonium verum quidem inter infideles existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum quidem et ratum existit quia sacramentum fidei quod semel est admissum nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum ut ipsum in conjugibus illo durante perduret*¹⁹.

Pontifices necnon autores unanimiter tenuerunt, fortasse excepta decretali *Laudabilem*²⁰ CELESTINI III quae emendata est tamen ab INNOCENTIO III²¹, sic dictum privilegium paulinum applicari non posse ad

¹⁸ Agendo de sic dicto privilegio paulino, ipse scribit: Verum hoc non intelligendum est nisi de his qui in infidelitate copulati sunt. Ceterum si ad fidem uterque conversus est, vel si uterque fidelis matrimonio junctus est et procedente tempore alter eorum discesserit a fide et odio fidei conjugem reliquerit, derelictus discendentem non comitabitur, non tamen illa vivente alteram ducere poterit, quia ratum conjugium fuerat inter eos quod nullo modo solvi potest. C. 28, Q. 2, dpC. 2. Vide etiam C. 28, Q. 1, dpC. 17.

¹⁹ X, 4, 19, 7.

²⁰ Idem si quidem juris erit in sequenti casu... quum Christiano viro propter odium uxoris Christum negante et sibi copulante paganam et ex ea filios procreante, Christiana in opprobrium Jesu Christi relicta, cum assensu archidiaconi sui ad secundas nuptias convolvavit et filios suscepit ex ipsis; non enim videtur nobis quod si prior maritus redeat ad unitatem ecclesiasticam, eadem a secundo recedere et resignari debeat priori maxime quum ab eo visa fuerit ecclesiae iudicio discessisse et teste GREGORIO contumelia creatoris solvat jus matrimonii circa eum qui relinquitur odio fidei Christianae. X, 3, 33, 1 [*Laudabilem*].

²¹ Nos igitur consultationi tuae respondentes distinguimus, licet quidam praedecessor noster sensisse aliter videatur [X, 4, 19, 7 *Quanto*]. Et juxta glossam ordinariam in verbum «praedecessor»: scilicet Caelestinus, dictum cujus habuisti olim in decretali supra, De conversione infidelium, «*Laudabilem*», et male dixit CAELESTINUS.

dissolvendum matrimonium postquam utraque pars convertatur ad fidem, quia tunc sacramentum baptismi jam efficit matrimonium ratum.

Ratio theoretica pro hac doctrina providetur ab Hostiense. Describit sacramentum baptismi ut fundamentum firmum super quod aedificium matrimonii erigitur, et sine hoc fundamento aedificium etiamsi verum sit, tamen remanet debile et infirmum. HOSTIENSIS sic explanat decretalem *Quanto*.

*... ideo posito hoc fundamento, quod semel admissum nunquam amittitur... aedificatio sacramenti matrimonii sicut et aliorum sacramentorum supposita firma est... et ideo indissolubile est matrimonium hoc super aedificatum sicut et fundamentum. Hoc autem fundamento deficiente, etsi verum aedificium sit, istud est tamen debilius...*²².

4.4 Praeterea, matrimonium ratum et matrimonium mere legitimum [id est, contractum inter partes una quarum saltem non est baptizata] differunt inter se non simpliciter ratione firmitatis fundamenti et ideoque indissolubilitatis propriae. HOSTIENSIS baptismum intelligit uti aliquid quod rationem vel formam vel structuram diversam homini ingerit, ita ut consequenter sacramentum efficit permutationem intrinsicam in matrimonio inter baptizatos contracto. Matrimonium aedificatum super fundamentum firmum baptismi fit quasi res diversa. Transformatur in realitatem alterius speciei loquendo theologicè, ita ut indissolubilitas mere unus aspectus profundioris diversitatis sit. Agendo de contumelia creatoris, Hostiensis asserit eam posse quidem dissolvere matrimonium inter non baptizatos contractum non efficere

²² HOSTIENSIS, *Super Quarto*, in X, 4, 19, 7, p. 45, no. 8.

tamen dissolutionem matrimonii baptizatorum. Ille scribit: «Subaudi nec obstat quod inter infideles est matrimonium verum quia alia ratio pactum reformat²³.

Itaque, sacramentum fidei novam formam in matrimonio introducit ita ut pactum naturaliter inter baptizatos constitutum intrinsece reformetur. Nova realitas sic transformata assumitur in economiam salutis, et efficitur signum aptum et idoneum unionis indissolubilis inter Christum et ecclesiam.

4.5 Affirmatio quod matrimonium ratum fundatur super sacramentum baptismi excolitur ab auctoribus hic inquisitis.

HUGUCCIO PISANUS clare asserit conditionem minimam sed necessariam ad contrahendum matrimonium ratum baptismum utriusque partis esse. Fingit casum limitem in quo utraque pars sic disponatur ut receptio actualis sacramenti baptismi sit quodammodo quasi mera formalitas eo quod sacramentum non possit administrari propter carentiam materiale aquae. Huguccio tenet sponso in hoc casu matrimonium ratum contrahere non posse quia nondum consecrati sunt. Juxta hunc auctorem:

*Credo quod non... est satis quoad contrahendum matrimonium, nisi ambo sitis initiati, id est imbuti... consecrati, insigniti...*²⁴.

Porro, auctores intellexerunt matrimonium in infidelitate contractum fieri ratum ipso facto cum ambo conjuges convertuntur²⁵. Matrimonium sic fac-

²³ HOSTIENSIS, *Super Quarto*, in X, 4, 19, 7, p. 45, no. 6.

²⁴ HUGUCCIO PISANUS, *Summa Super Decreto*, p. 39.

²⁵ Cf. v.g. C. 27, Q. 2, dpC. 2; ROLANDUS, *Summa Decretorum*, ed. Thaner, 142; STEPHANUS, *Summa Decretorum*, ed. von

tum ratum propter receptionem baptismi ab utraque parte dissolvi non potest etiamsi unus conjugum labatur in haeresim, quamvis major appareat contumelia Creatoris in hoc casu. Si aliquis infidelis secundum ritum suum legitimam uxorem repudiavit et postea convertitur ad fidem, si illa in conversione eum sequitur, compellitur eam recipere²⁶.

5. Quaestio maximi momenti agit de aliis requisitis ex partibus praeter receptionem validi sacramenti baptismi — verbi gratia, intentio contrahendi matrimonium sacramentale, vel fides actualis, vel status gratiae partium, vel conditio canonica in ecclesia. Quaedam via indicatur ab INNOCENTIO IV et JOANNE ANDREAE qui jam luctaverunt cum hac quaestione.

5.1 INNOCENTIUS IV, tractando de vero «infidelium» decretalis Quanto, proponit quaestionem de his qui fiunt haeretici sed baptizati sunt licet ab haereticis. Ille sic respondet:

Haec quaestio non potest habere locum quod sic ostendo: quia sive infans sive major, aut baptizatus fuit in forma ecclesiae et sic habuit verum fidei sacramentum etiamsi ab haereticis vel infidelibus fuit collatum, et sic etiam matrimonium est ratum inter eos... Aut non fuit collatum in forma ecclesiae, et tunc non habet fidei sacramentum sed sunt infideles et jure infidelium utuntur, et sic eodem modo non est ratum matrimonium inter eos²⁷

Schulte, 238; UGUCIONE, *Summa Super Decreto*, ed. Squicciarini, XLVIII; RAIMUNDUS DE PENNAFORTE, *Summa de Matrimonio*, ed. Ochoa et Diez, 954.

²⁶ Sic decisio facta fuit a romanis pontificibus in decretalibus Quanto [X, 4, 19, 7], *Gaudemus* [X, 4, 19, 8], *Ex Parte Tua* [X, 3, 32, 14].

²⁷ INNOCENTIUS IV, *Commentaria in Decretalium Libros* (Venetiis: Apud Bernardinum Majorinum Parmensem, 1570), 576-577.

Clarius non potest esse. Opinatur INNOCENTIUS IV, licet ut auctor privatus, quod maximi ponderis est utrum sacramentum baptismi conferatur in forma ecclesiae. Si sic collatum fuisset, tunc matrimonium est ratum inter eos contractum quia partes habuerunt sacramentum verum fidei. Nihil aliud exigitur nisi validum baptismi sacramentum ex parte contrahentium. Porro, si alia res exigeretur partibus ad contrahendum matrimonium ratum, esset obvium ut hic indicaret. Sed nihil aliud nisi baptismus indicatur.

5.2 Hanc positionem confirmat Joannes Andrea quando glossam facit de decretali Quanto quae, ut vidimus, clarissime fidei sacramentum ratum efficere matrimonium proposuit. Glossator hic monstrat characterem impressum a sacramento baptismi efficere ratum matrimonium contractum inter illos jam insignitos tali characterem. Sic scribit JOANNES:

*Si quis diceret unde procedit haec ratificatio? Responsum: sacramentum... quod baptismus receptus nunquam perditur propter characterem impressum. Intantum ratum facit sacramentum conjugii ut ipsum inter conjuges perduret durante illo, scilicet baptismi sacramento...*²⁸.

Ergo, ratificatio, quae significat praecipue sed non tantum indissolubilitatem matrimonii inter baptizatos contracti, procedit ex characterem sacramentali baptismatis. Ex hoc duae implicationes deducuntur.

Ratificatio matrimonii, id est nova significatio et indissolubilitas quae surgit ob significationem uti jam vidimus, intrinsice efficitur ratione elevationis totius

²⁸ JOANNES ANDREA, *Commentaria in Libros Decretalium [Super Quarto]* Venetiis: Apud Franciscum Franciscum Senensem, 1581), in X, 4, 19, 7, p. 66a.

personae in economiam salutis. Theologia intelligit characterem baptismi hunc effectum habere, uti argumentabitur infra. Propter hanc elevationem et novam positionem hominis, vita sua omnesque res gestae assumunt novam significationem et pondus. Si de matrimonio agitur, ratione characteris sacramenti baptismi, nova ratio quae reformat matrimonium introducit secundum HOSTIENSEM.

Quia matrimonium ratificatur ratione elevationis ontologicae quae efficitur caractere sacramenti baptismi, clarum est nihil aliud exigi nisi ut matrimonium sit naturaliter validum. Praeterea, clarum fit nullum distinctum consensum postulari ut ratum matrimonium contrahatur. Non enim existit consensus fundamentalis ad contrahendum matrimonium in genere super quem positus est alter et diversus consensus pro matrimonio generis particularis, scilicet sacramentalis. Eo quod character est fundamentum ratificationis, clarum est hanc proprietatem matrimonii procedere non ex consensu vel voluntate vel proposito, sed ex nova conditione hominis ratione baptismatis.

5.3. Item, theologi in quos inquisivimus hanc thesim confirmant, scil. nihil aliud exigi ex partibus nisi sacramentum baptismi in forma ecclesiae collatum et validitatem matrimonii naturalem. HUGUCCIONEM PISANUM et BONAVENTURAM inter theologos ut exempla proferimus.

HUGUCCIO PISANUS proposuit etiam inter fecte baptizatos matrimonium ratum contrahi²⁹. Petrus

²⁹ Credo ergo quod inter Christianos nunquam impediatur matrimonium propter disparem cultum. Ergo, matrimonium potest esse inter catholicum et excommunicatam vel apostatam vel patarinam [sic] vel aliquam qualemcumque hereticam vel fecte baptizatam dummodo aliud non impediat. UGUCCIONE PISANUS, *Summa Super Decreto*, ed. Squicciarini, XXXVIII.

Lombardus et ejus commentatores intellexerunt fecte baptizatum dici qui exterius se corporaliter subicit baptismo, sed interius voluntate adversatur. BONAVENTURA quoad hoc distinguit inter coactionem sufficientem et inducentem, et de coactione inducente asserit.

Si... aliquis immergatur coactione inducente... ita quod magis vult se subicere sacramento ecclesiae quam morte perire... aut intendit alios illudere et mortem evadere et tunc quia non est intentio non est sacramentum... aut ipse vult illud quod ecclesia facit circa se fieri magis quam velit perire. Et tunc sive credat sive non... dicendum quod recipit sacramentum eo quod quamvis non sit ibi voluntas meritoria, est tamen ibi consensus et voluntas, nec est simpliciter involuntarium³⁰.

Ergo, homo etiam coactione inducente compulsus sacramentum recipere potest et caractere insignari quando ipse illud quod ecclesia facit vult circa se fieri magis quam velit perire.

Dein agendo de effectu baptismi quoad talem hominem, sic dictum fecte baptizatum, Bonaventura distinctionem inter characterem et gratiam memorat³¹. Thomas pariter baptismum intelligit duos effectus habere, quorum primus est character sacramentalis, ratione cujus mutatio quodammodo ontologica

³⁰ BONAVENTURA, *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 4, P. 1, 4, 2, Q. 1.

³¹ Utrum fictus recipiat rem post sacramentum, recedente fictione. Respondeo dicendum breviter quod sacramentum baptismi, quod non sit iterabile, imprimit characterem; et illud habet omnem efficaciam, recedente fictione, quam habuisset ante, unde peccata illa remittit quantum ad poenam et culpam quae praecesserunt... BONAVENTURA, *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 4, P. 1, A. 1, Q. 3.

gica efficitur ad modum causae quasi-formalis. Haec hominis transformatio describitur uti nova configuratio Deo³², renatus, gratiae dispositio³³, vinculum firmiter ad Deum³⁴, potestas ad exercendum ministerium sacrum³⁵. Hic effectus impediri nequit voluntatis

³² ... dixerunt aliqui quod characterisatio non est aliud quam consignatio, et character idem est quod signum... et est ibi secundum institutionem et actum consignantis, nulla facta mutatione, unde est pura relatio... Sed illud non potest stare quia character dicit aliquam assimilationem et configurationem ad Christum... Bonaventura, *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 6, P. 1. A. U. cus, Q. 1. Et in quaestione subsequente: ... character est signaculum spirituale ... ideo gratiam significat et non tantum significat, immo aliquo modo praeparat quia usus sacramentorum non tantum in significando est. Et quia gratiam significat et ad gratiam disponit, ideo habet aliquam similitudinem cum gratia quae est similitudo Deo, ideo aliquo modo configurat Deo. *Ibid.*, Q. 2.

³³ Utrum aliqua indispositio voluntatis humanae possit effectum baptismi impedire. Respondeo dicendum... quod duplex est effectus baptismi. Primus est res et sacramentum, scil. character. Et quia character non imprimitur ad praeparandam hominis voluntatem ut aliquid bene fiat...; ideo effectum hunc voluntatis indispositio non impedit, dummodo aliqualis sit voluntas recipiendi sacramentum. Alius effectus est qui est res et sacramentum, scil. gratia... per quam hominis voluntas preparatur ut bene velit et bene operetur... THOMAS AQ., *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 4, Q. 3, A. 1.

³⁴ ... solutionem matrimonii contracti in infidelitate tria faciunt: primum est ipsius imbecillitas, secundum est cultus disparitas, tertium est matrimonii vel creatoris injuria. Matrimonii imbecillitas est ratione significationis imperfectae quam apud infideles habet et ratione defectus sacramenti... Cultus disparitas... quia tunc advenit alterae personae vinculum fortius. Injuria... Dei est cum non vult cohabitare... et tunc vinculum illud solvitur quia repugnat vinculo quo fidelis alligatur Deo. BONAVENTURE *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 39, A. 2, Q. 1.

³⁵ ... quando adulti baptizabantur... pontifex manum imponebat... et praecipiebat eos describi inter Christianorum nomina

indispositione dummodo sit voluntas minima, quamvis non sit meritoria, faciendi quod facit ecclesia³⁶. Secundus effectus est gratia per quam hominis voluntas praeparatur ut bene velit et bene operetur. Quoad hoc voluntas expurgata omni dispositione contraria postulatur. Perdurante dispositione contraria, ut in casu fide baptizati, sacramentum fidei plenum effectum habere non potest.

Primus effectus sacramenti baptismi character nempe efficit ratum matrimonium ut Bonaventura clare indicat quando agit de casu in quo unus conjugum baptizatorum labitur in haeresim. Ad illud vero quod objicitur scilicet quod cum fides sit fundamentum vitae spiritualis, fundamento ablato, omnia sacramenta item erepta sunt, ergo matrimonium, respondet.

*Dicendum quod fides est fundamentum virtutum sed sacramentum fidei est fundamentum sacramentorum, et hoc est sacramentum stabile quod manet semper*³⁷.

Ergo distingui debet inter fidem et sacramentum fidei, inter sanctitatem personalem ex una parte et characterem vel consecrationem fundamentalem hominis ratione baptismi ex altera.

ut de cetero ad divina cum aliis admitterentur... sicut in aliis rebus sunt potentiae naturales ad proprias operationes, ita etiam renati ad vitam spiritualem habent quasdam potentias secundum quas possunt illa opera... hoc signum nihil aliud intendit quam illud quod facit eum participativum divinarum operationum; unde hoc signum nihil aliud est quam quaedam potentia qua potest in actiones hierarchicas quae sunt ministrationes et receptiones sacramentorum et aliorum quae ad fideles pertinent... THOMAS AQ., *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 4, Q. 1, A. 1.

³⁶ THOMAS AQ., *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 4, Q. 2, A. 1.

³⁷ BONAVENTURA, *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 39, A. 2, Q. 3.

5.4 In compendio dici potest. Unanimitèr tenetur baptismum efficere ratum matrimonium. Porro, nihil aliud exigitur partibus nisi baptismus. Dummodo matrimonium naturaliter sit validum inter baptizatos contractum, ipso facto ratum est. Haec ratificatio procedit, non ex consensu vel proposito vel sanctitate personali, sed ex consecratione fundamentali hominis quae perficitur ut effectus necessarius et permanens baptismi validi quaeque ope theologiae characteris proponitur ab auctoribus.

6. In fine, agendum est de quidditate matrimonii rati quae constituit differentiam inter ratum et mere legitimum. Diversitas enim non est tantum ratione fundamenti sed etiam intrinsicae consistentiae.

6.1 Praecipua significatio matrimonii rati apud canonistas est indissolubilitas hujusmodi matrimonii. Tenetur enim unanimiter ut doctrina pacifica matrimonium inter baptizatos contractum quamvis nondum consummatum dissolvi non posse ratione contumeliae creatoris cum unus conjugum labatur in haeresim etiamsi contumelia sit major in hoc casu quam in privilegio paulino. Haec differentia vocatur ab HUGONE ST. VICTORIS sanctitas sacramenti sequendo Augustinum qui dicit:

*Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est... quod autem ad Dei populum pertinet etiam in sanctitate sacramenti per quam nefas est etiam repudio discendentem alteri nubere dum vir ejus vivit...*³⁸

Sanctus THOMAS proponit matrimonium esse non solum ad officium naturae et ad remedium concupiscentiae, sed etiam ad significandum. Natura ad ma-

³⁸ AUGUSTINUS, *De Bono Conjugali*, PL 40, 394.

trimonium inclinat intendens aliquod bonum quod quidem variatur secundum diversos status hominum. In nova lege Christi, institutionem habuit secundum quod representat mysterium conjunctionis Christi et ecclesiae et secundum hoc est sacramentum novae legis³⁹.

Haec tertia finalitas, secundum quam est sacramentum in dispensatione ministrorum ecclesiae consistens, infidelibus non competit. Tamen etiam tale matrimonium, id est inter infideles contractum, est aliquo modo sacramentum, habitualiter quamvis non actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide ecclesiae⁴⁰. Matrimonium idoneum est ad significandam unionem sacram. Vi baptismatis quae secundum THOMAM dat potestatem ad exercendum munus sacram, matrimonium fit sacramentum actualiter non tantum habitualiter, et sic potest intelligi quod esse sacramentum est munus sacram⁴¹.

6.3 Secundum theologos mediaevales, uti jam indicavimus, matrimonium institutum est in officium, in remedium, et in sacramentum. Omnes hae finalitates modo pleno et integrali proseguuntur in matrimonio inter baptizatos contracto, partialiter et imperfecto tamen inter paganos. A. BONAVENTURA diversitas sic explanatur.

*Nam est in officium quia est procreatio legitima prolis
sed non ad cultum Dei, apud fideles autem ad cultum Dei.*

³⁹ THOMAS AQ., *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 26, Q. 2, A. 2.

⁴⁰ THOMAS AQ., *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 39, Q. 1, A. 2.

⁴¹ ... quando adulti baptizabantur quod accedenti ad baptismum... pontifex manum imponebat et signabat eum signo crucis, et praecipiebat eum describi inter Christianorum nomina ut de cetero ad divina cum aliis admitteretur... THOMAS AQ., *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 4, Q. 1, A. 1.

Est in remedium quia excusat maritalem coitum a culpa et rursus datur ibi gratia remittens concupiscentiam... apud infideles vero affectu maritali uxores cognoscentes est excusatio a culpa sed non datur gratia, apud fideles utrumque. Est et sacramentum quia significat unionem... non tantum aptitudine sed actu, apud infideles vero aptitudine tantum⁴².

Est sic conati sumus notionem matrimonii rati illustrare ut invenitur in *Corpore Juris Canonici*, apud praecipuos decretistas, decretalistas et nonnullos theologos medioevales. Hoc factum est ex tribus aspectibus constitutione nempe vinculi indissolubilis, dein fundamento ratificationis matrimonii, denique tandem quidditate matrimonii rati.

7. In fine summarium hujus studii breviter proponitur.

7.1 GRATIANUS loquitur de duabus significationibus ratificationis: prima vi commixtionis carnalis, altera vi baptismatis sacramenti. Sensus technicus et strictus reservatur illi quae vi fidei sacramenti exsurgit.

7.2 Doctrina quae emergit inter auctores quaeque pacifica devenit tenet vinculum indissolubile constitutum esse cum consensus de praesenti intervenit.

7.3 Apud ROLANDUM et BONAVENTURAM, habentur tres categoriae matrimonii et tres gradus indissolubilitatis.

7.4 Sacramentum baptismi quod imprimit characterem indeliblem ratum efficit matrimonium.

7.5 Ratificatio matrimonii fit vi characteris baptismatis, qui character intelligitur ut nova ratio vel forma ontologica hominis. Et haec ratificatio procedit ex hoc statu novo personae, ita ut nihil aliud exigatur

⁴² BONAVENTURA, *In IV Sententiarum*, L. 4, D. 39, A. 1, Q. 2.

nisi baptismus in forma ecclesiae atque matrimonium naturaliter collatum validum.

7.6 Matrimonii rati quidditas exprimitur per terminum signum actuale indissolubilis unionis inter Christum et ecclesiam, et ob hanc rationem fit indissolubile.

A.N. DACANAY S.J.